TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE EMETICORUM USU.

Maxwell (Gu)

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

EMETICORUM USU:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GUALTERUS MAXWELL, Scotus.

Ὁ βιος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ. HIPP.

SURGEON GENL'S OFFICE LIBRARY.

Ad diem 6 Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LV.

NOBILISSIMO AMPLISSIMO,

GULIELMO

DE NITHSDALE, &c.

GENTIS MAXWELLIANAE PRINCIPI

DIGNISSIMO;

QUI NATALIUM SPLENDOREM,

VIRTUTE MORIBUSQUE,

ILLUSTRAT;

NEC NON,

GENTIS ILLIUS CLARI

STEMMATI CLARO,

GULIELMO MAXWELL

DE SPRINKELL, EQUITI-BARONETTO;

PRO TESSERA OBSERVANTIAE SUAE,

MULTIS CUMULATUS BENEFICIIS;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. D. C. Q.

GUALT. MAXWELL.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

EMETICORUM USU.

AD honores in arte medica adſpirantem, cum ſpecimen aliquod ſtudiorum exhibere oporteat; materiam diſſertationis circumſpexi talem potiſſimum, quae ob utilitatem in praxi medicinae digna conſideratione videretur. Hinc pauca de USU EMETICORUM afferre lubuit. Haud latet quam ardua aggrediar, neque quantum laboris temporiſque poſtularet opus huic inſcriptioni reſpondens: ſed quoniam legibus hujus academiae, minime pruritu ſcribendi, arrogantive docendi

docendi ſpe adductus, recens a tirocinio haec in lucem profero ; temporis quoque anguſtiam benevolo me judici excuſaturam ſpero, quod minus elaboratum digeſtumve nec erroribus vacuum opus emittere audeam.

VOMITUS a Boerhaavio * definitur "expulſio violenta contentorum ventriculo primo; dein etiam inteſtinis, "tandem viſceribus eo ſe evacuanti-"bus. Agnoſcit convulſionem fibra-"rum muſcularium faucium, oeſopha-"gi, ſtomachi, inteſtinorum, diaphrag-"matis, muſculorum abdominalium, "pro cauſa proxima."

ULTERIUS autem, quid excitet vomitionem, ſi inveſtigemus, triplici a cauſa oriri videtur. *Primo*, a ſimplici irritatione faucium ventriculive; ſed hanc tantum levior gradus nauſeae comitatur, et effectus ejus ultra

* BOER. Aphor. ſect. 652.

ultra ſimplicem evacuationem ventriculi fere non extenduntur. *Secundo*, quicquid, praeter irritationem ventriculi, etiam ſanguinem miaſmate aliquo contaminat, vomitum cum gradu ſeverioris nauſeae producit. *Tertio*, a gravi ſpirituum animalium affectione, accedit primo nauſea gravis, et, ſi continuatur cauſa, vomitus etiam excitatur.

Cum nauſea, primo per omnia membra laſſitudinem ingratumque torporem ſentire incipimus. Haec forte ab aliqua in ſanguinem recepta materia, quam blandam ad naturam redigere non poſſunt vires vitae, producuntur; namque, quod ulla irritatio ventriculi vel titillatio ſolae hanc peſſimam aegritudinum efficere poſſent, vix rationi conſentaneum videtur. Porro, ſi aliter res ſe haberet, cur aliquando

aliquando per horam, aut amplius ſaepe, quieſceret ventriculus a doſi aliqua pharmaci deglutita? Cur etiam rejectâ illâ totâ per primum vel ſecundum niſum, tamen pertinaciter urgeret vomitio? Denique nonne ſaepe producuntur nauſea et vomitus a ſimplici foliorum * nicotianae ad exteriora corporis applicatione? Contra, omnia illa phaenomena facile ab irritatione vaſorum ſenſibilium per humores inquinatos in iis circulantes deduci poſſunt.

VERTIGINE deinde et objectorum circumgyratione cruciatur aeger; quae motibus inſolitis ſpirituum debentur.

VULTUS palleſcit. Ita obſidentur vaſa cutanea ſpaſmis leviuſculis, uti tranſitum cruori rubro negent.

LABIUM

* Med. Eſſays, vol. II. art. 5.

LABII'M inferius tremit, oſcitatione fere perpetuo torquetur, ſalivae larga copia elicitur, ſudor gelidus per totam corporis ſuperficiem erumpit, pulſus * fit debilis celer et inaequalis. Haec omnia ſpaſmodica contractione vaſorum omnium, cum motu oſcillatorio aucto fieri videntur.

NAUSEA haecce gravior graviorque urget, donec tandem ad aegritudinis flexum perveniatur, ubi quaſi criſis perficitur huncce in modum.

PLENA inſpiratione ducta, claditur ita laryngis orificium ut exitus aëri penitus negetur, tum valide agunt omnes muſculi exſpirationi inſervientes, quo deprimitur ad ventriculum diaphragma; muſculi abdominales

* ROBINSON on the virtues and operations of medicine, p. 62.

les ſtrenue contrahuntur, quo etiam magnopere comprimetur ventriculus; quibus ſine auxiliis, nequaquam ad expulſionem contentorum valeret contractio ſola illius viſceris: corpus inclinatur, mentumque antrorſum porrigitur; qui ſitus eſt commodiſſimus ad ejiciendum aliquid per os. Per violentam fibrarum logitudinalium oeſophagi contractionem, ſurſum trahitur ſtomachus: ſtricte clauditur pylorus, et exitus facilior per ſuperiora patet. Invertitur penitus motus periſtalticus ventriculi oeſophagique, et nunc ab inferioribus ſurſum progreditur. Hoc facile unicuique niſum deglutire facienti tempore paroxyſmi apparebit. His omnibus junctis contenta ventriculi per ſuperiora violenter ruunt, eoque facto aegritudo plus minus pro tempore ſedatur. Pulſus ‡ per

‡ Robinſon. Ibid.

per hoc ſtadium tam debilis evadit, ut vel omnino vix percipi poſſit. Debetur forte defectui cruoris in ventriculo cordis ſiniſtro, tranſitu a corde dextro in laevum per pulmones negato. Venae omnes circa caput, faciem et collum turgent ſanguine. Cum ad validas contractiones excitentur muſculi, violenter per venas verſus cor dextrum urgetur ſanguis; ſed negato tranſitu, ibi quaſi ſiſtitur circulatio, turgentque omnes venae a compreſſione muſculorum liberae; ita facies nigreſcit, oculi lacrymis ſuffunduntur, ſudores largi a ſuperioribus fluunt, dum artus inferiores frigeſcunt, et horrore ingrato, a defectu circulationis per arterias deſcendentes, perfunduntur. Tandem, finito paroxyſmo, magis paulo percipiendus pulſus et aequalior per omnia membra, donec repetitis ictibus penitus expulſo omni morboſo,

ſpatio

ſpatio circiter horae, * plenior fortiorque quam ante emetici adminiſtrationem evadit.

Ad primam emeticorum claſſem, nulla niſi ea quae ipſo contactûs momento, ſine aliqua ſolutione, effectum producunt, referenda ſunt: qualis eſt ſimplex faucium oeſophagique plumâ vel filo titillatio: namque, ſi ullam tincturam vel extractum maceratione per gaſtricos ſuccos ſuppeditat medicamentum, inſtanter fere per venas ventriculi abſorbentes in circulationem rapitur, atque ſimul ea ratione, non mera tantum irritatione in ventriculo agit. Porro referendus huc vomitus qui ab inflammatione, vel laeſione ventriculi, aliorumve organorum nobiliorum, accidit.

Secunda

* Robinſon. Ibid.

SECUNDA ea continet quae corporis alicui parti applicata, et in maſſam ſanguinis, per venas abſorbentes, recepta, nauſeam primo, et tandem vomitionem efficiunt. Inter ea enumerari poterunt fere omnia materiae medicae emetica: haec licet non immediate ventriculo applicentur, tamen eundem ſcopum attingunt. Si conſideretur quam innumerae ſint venae abſorbentes arteriaeque exhalantes, quibus ventriculi ſuperficies interna fere omni puncto pertunditur; videmus difficile eſſe, ut aliquid noxium in ventriculo lateat ſine contaminatione fluidorum circulantium, et, vice verſa, per ea quae in humoribus haerent ventriculum affici debere. Ad hanc ſecundam claſſem referenda et omnis nauſea ac vomitus in febribus epidemicis.

TERTIO ſaepiſſime excitantur nauſea et vomitus, ſolidis fluidisque penitus immunibus, a ſola turbatione motuum ſpirituum animalium, per inſolitos nempe motus in navi, rheda, &c. per circumgyrationes corporis, vel etiam ab idea rei alicujus ingratae mentes delicatulorum ferientis.

EFFECTUS itaque nauſeae vomitûsque quintuplex erit, nempe,

Superfluorum evacuatio.
Viſcidorum attenuatio.
Obſtructionum leviorum reſolutio.
Revulſio per ſtimulum, et
Fibrarum corporis corroboratio.

PRIMUM commodum quod promittit vomitio modica, qua *evacuat*, eſt expulſio rei alicujus noxiae quae intravit, hoſpitat, vel in ventriculo generatur;

ratur; hicce tam evidens eſt effectus, ut nullâ eum neque ratione neque auctoritate affirmare opus ſit. Si in hocce caſu emeticum * " ſpontaneo " vomitu una cum magna ejus facili- " tate " indicatur; nihil votis reſpondere poteſt aeque ac larga liquoris alicujus blandi egelidique potatio, aquae puta ſimplicis vel infuſi chamaemeli, cardui benedicti, ſimiliumve. Si † " a foeditate matutina oris, ejus " amarore, ructu, nauſea, morſu ven- " triculi, appetitu lente ablato, ſine " febre comitante," et vomitione abſente; neceſſarium erit prioribus ſtimulum aliquem adjicere, cujus natura ex cognitione qualitatis materiei nocivae in ventriculo determinari debet. Hinc, ſi ſymptomata haecce a putrida bilioſa colluvie oriantur, emetica e claſſi

* Boer. Inſtit. ſect. 1202. No. 2.

† Ibid. No. 1.

claſſi antiſepticorum eligenda, et ſic de reliquis; quo, ſi ulla materiei portio poſt emetici uſum maneret, ita corrigatur, uti penitus innocua fiat, et per inteſtina ad anum ſine incommodo meare queat. Inſuper, ubi fomes in aliqua parte corporis haeret, et inde maſſam ſanguinis perpetim contaminat, atque in tenuem acrem laticem ſolvit, uti in febribus hecticis a pure in aliquo corporis organo hoſpitante accidit; emetica lenia ſaepius repetita, forte oſcillatorios motus vaſorum promptiores reddendo et ſudores largos excitando, ſanguinem depurabunt. Fructus emeticorum validiorum in hydrope ſaepiſſime in Noſocomio Edinenſi, ſub auſpicio medici peritiſſimi D. Rutherfoord ipſe vidi. In febrium putridarum initiis ubi ſcatent

tent omnes humores miaſmatibus putridis, effecta optima ab uſu emeticorum produci obſervat ſagaciſſimus medicus Sydenham : " quamvis etiam " materies vomitu ejecta, neque mole " valde ſpectabilis, neque pravis qua- " litatibus adeo inſignis, reperiatur." Hocce in caſu haud alienum eſſe a ratione, commoda potius ſudori per emeticum producto, atque vaſorum cutis reſerationi, quam parvulae iſtius laticis inſipidi ejectioni per os adſcribere, cenſerem. In omnibus praeterea caſibus ubi aeger venenum aliquod hauſit, ſive ex morſu animalis, ſeu aliter, ubi dira effecta primo apparere incipiunt, emetica omnia fortiora propter excretionem largam fluidorum tenuiorum quam efficiunt, utilitatem promittere egregiam videntur. Relatum etiam mihi fuit de viro, qui per multos annos doloribus venereis vexatus;

tus; poſt multa medicamenta fruſtra tentata, tandem gravi conflictatus aegritudine marina, penitus fuerit curatus. In febribus intermittentibus, emetico ante paroxyſmi ingreſſum adhibito, aeger ſaepe immunis pro tempore evadit; ſaltem eo magnopere curatio morbi promovetur. Sed haecce attuliſſe exempla hujus effectus emeticorum ſufficiat.

Secundo *viſcidorum attenuatio.* Quanta ſit emeticorum vis in hocce caſu, facile etiam a priori judicari poteſt; neque inſuper deficiunt innumera de eo documenta. In lentoribus omnibus, ſanguinis circulatio per vaſa minima difficillime perficitur, motusque eorum oſcillatorius fere omnino ſiſtitur, unde languor et proclivitas magna in obſtructiones. In hujuſmodi igitur caſu nihil forte utilius praeſcribi poteſt

poteſt quam emeticum ; ſed pro tali indicatione ea quae majorem nauſeae et ſtimuli gradum afferunt prae aliis eligenda ; talia nempe, emetica antimonialia, praeparationes veneris, tart. emet. &c. Praeter effectus illos, quod motus reſtituant oſcillatorios, etiam praeſtantiſſimos, primas vias a ſaburra viſcida qua ſcatent in ejuſmodi corporibus liberando, producunt.

Tertio *obſtructionum leviorum reſeratio.* Si obſtructio in ullo viſcere abdominali accedit ſine dolore inflammationeve, uti ſaepe in viſceribus majoribus a lenta evenit circulatione, emetica optime conducunt. Ita in ictero ab infarctione ductuum latice gelatinoſo, quod infantulis frequenter hominibuſque vitam otioſam degentibus occurrit, doſis ipecacuanae cum paucis tartari emetici granis pro viri-

um

um aegroti ratione additis, perfectam ſaepe ſanationem efficit. In ictero etiam a calculo in ductus biliares ingreſſo et haerente, ſaepe vomitu ſpontaneo curantur aegri. In paralyſi, quae obſtructio in vaſis minutiſſimis eſt, emetica quae vi gaudent febriculam excitandi, veluti pulvis ſinapi, maxime commendat Profeſſor noſter Anatomiae celeberrimus Monro, * exemplumque effectus eorum in tali caſu commemorat. B. Robinſon Hybernus, in tractatu ſuo ingenioſiſſimo de virtute et operatione medicamentorum, multos affert caſus de effectibus emeticorum in epilepticorum curatione: etiam exemplum † dat pueri chorea ſancti Viti emeticorum uſu curati; quae forte partim reſerationi ob-

* Med. Eſſays, edit. 4. vol. II. art. 19.

† Robinſon on the virtues and operation of Medicine, p. 163. 165. 166.

obſtructionum aliquarum, partim evacuationi materiei alicujus noxiae e primis viis, debentur. In tumoribus teſticulorum pertinacibus, pauca grana turpethi mineralis, aliis antea medicamentis multis fruſtra tentatis, curationem feciſſe plus ſemel ipſe vidi. Quoniam tumores glandularum ſtrumoſi plerumque ex lentore ſanguinis defectuque motus oſcillatorii oriuntur, et quoniam utrumque emetica curant; certe, in principio, nihil magis ad ſalutem reſtituendam convenire videtur.

QUARTO, Emetica *vi ſtimulante morbos revulſione depellunt.* Hocce modo forte agunt in curatione aſthmatis nervoſi; et certe ſic in curatione dyſenteriae, nempe minuendo proclivitatem motus periſtaltici verſus anum, potius quam ulla evacuatione materiae alicujus ex ventriculo, opem praeſtant;

ſtant; atque hanc forte etiam adjuvat reſeratio vaſorum cutaneorum, qui tamen effectus tantum ſecundarius eſt. In tuſſi convulſiva, ante ingreſſum paroxyſmi, ſi aeger pauxillum, cochleare nempe plus minus, ſyrupi oxymelitiſve ſcillitici deglutiat, ſemper leniorem reddet paroxyſmum. Inſtante partu, ſaepe foeminae cruciantibus ventriculi doloribus corripiuntur, quibus aliquando penitus fugantur dolores partus naturales; hiſce in caſibus, emeticum non ſolum materiem nocivam e ventriculo expellit, ſed etiam valida muſculorum abdominalium actione, partum optimo cum ſucceſſu conciliat.

QUINTO, *Solida corroborat.* Ubicunque humoribus inertibus vapidis ſcatet corpus, cito inducitur fibra laxa debiliſque. Contra hunc morbum nihil aeque efficaciter agit ac exercitatio

tio modica: ſed ſaepiſſime ita debile redditur corpus, uti ne vel leniſſimus quidem motus ferri poſſit, ſine tam gravi ſanguinis rarefactione, ut aeger quaſi in mortis faucibus pro tempore, palpitationibus cordis, lypothymiis, &c. afflictus haereat, donec iterum in ignavia pernicioſa tandem ſedetur tumultus. Sed nauſea vomituque excitatis, curari ſine ullo periculo poſſe videtur, nempe evacuatione phlegmatis iſtius noxii, et actionis propriae vaſorum omnium reſtitutione: neque eſt rarefactio unquam effectus emeticorum, uti a ſtatu pulſus * ſub operatione judicabitur. In virginibus delicatulis ſaepiſſime obſtruuntur catamenia ab hacce cauſa, nempe vaſorum enervatione ſanguinisque lentore frigido; hic igitur, ſi unquam alias, ab emeticorum uſu ſalus ſperanda eſt. Et fere certa,

* Vide ſupra pag. 5.

certa, ex eorum apta administratione delectuque, cum regimine accommodato, curatio promittitur. Ingeniosus Robinson, in tractatu prius citato, unum exemplum memorat diabetis, alterumque haemorrhagiae uterinae, emeticorum usu remotarum, multaque exempla haemopticorum eorundem administratione curatorum, affert. Hi omnes morbi debilitati saepius vasorum debentur, et effectu emeticorum corroborandi forte hisce casibus sanantur. Neque tanto in iis cum periculo, quantum primo intuitu minitari crederes, administrantur emetica; uti consideratione ulteriore apparebit. In haemorrhagiis uterinis diabeteque tutissima est emeticorum exhibitio; namque spasmis levibus constringuntur ita orificia laxata vasorum, ut magis resistant liquidis per illa pulsis, dum insuper multum temperatur sanguinis motus;

tus; in ipſo namque niſu ita muſculis abdominalibus comprimuntur arteriae ad inferiora tendentes, ut vix pulſus in extremitatibus inferioribus percipiendus ſit. Ita, in haemoptoe ab anaſtomoſi orta, in actione emetici, ſic, inter aërem veſiculas bronchiales diſtendentem, coſtaſque ab exteriore parte coercentes, comprimuntur arteriae pulmonum, ut nullam vim a ſanguine urgente extremitates illarum ſuſtineant.

PLURIMA exempla, ex obſervationibus practicorum, efficaciae emeticorum qualem enumeravimus, varii generis colligi poſſent: ſed ſufficiant haec; quoniam neque tempus tale inceptum aequat, neque arctis limitibus diſſertatiunculae hujus generis comprehendere omnia liceret.

FINIS.